

DE SERMONE COTIDIANO

[INTERPRETAMENTA dīcuntur librī trēs ā quōdam gram-
maticō Latīnē et Graecē cōnscrīptī saeculō secundō p.C.,
quōrum tertius est dē sermōne cotīdiānō. In sermōnibus
quae sequuntur verba Graeca omīssa sunt.]

I. DISCIPVLVS (I)

– Sōl ortus est. Sōlis ortus. Lūx. Lūmen. Iam lūcet. –

Ante lūcem māne surgō – surrēxī – dē lectō.

“Vestī mē! Dā mihi calceāmenta!” Iam calceātus sum.

“Affer aquam manibus! Manūs sordidae sunt.”

Lavō – iam lāvī – meās manūs et faciem. Tergeō – adhūc
nōn tersī.

Prōcēdō forās dē cubiculō. Vādō in scholam.

Prīmum salūtō magistrum, quī mē resalūtāvit: “Avē, ma-
gister! – Avēte, condiscipulī! Locum mihi date meum!

Illūc accēdite! Meus locus est. Ego occupāvī!”

Sedeō. Discō.

“Iam teneō meam lēctiōnem: *meus,*
mihi, noster, nōbīs, tuus, tibi, ves-
ter, vōbīs. Iam possum reddere.”

Reddō. Scrībō.

Versūs posteā coepī legere.

“Praedūcere nesciō. Tū mihi praedūc, quōmodo scīs!”

“Cēra dūra est, mollis dēbuit esse.” Tabulam dēleō.

“Scrībe tū mihi pāginam!”

Iam didicī quod accēperam.

Rogāvī ‘ut mē dīmitteret domum ad prandium’, et ille mē
dīmīsit. Ego illī ‘bene valēre’ dīxī. Resalūtāvit mē.

Postquam pranderam, reversus reddidī.

p. C. = post Christum (nātum)

o-mittere = nōn dicere/scribere,
dēmere (↔ addere)

orīrī ortum esse
ortus -ūs *m* < orīrī
lūmen -inis *n* = lūx

calceāmentum -ī *n* = calceus
calceātus -a -um = calceīs
indūtus

lavāre lāvīsse lautum/lōtum

tergēre -sisse -sum

vādere -sisse = ire
schola -ae *f* = lūdus
re-salūtāre
avē! avēte! = salvē! salvēte!
con-discipulus -ī *m* = discipulus
eiusdem scholae
occupāre = capere et suum
facere

lēctiō -ōnis *f* (< legere) = quod
legendum (discendum) est

red-dere : sine librō quod
discendum erat recitāre

prae-dūcere = lineās dūcere
quōmodo = eō modō quō, sicut

“dimitte mē...!”
prandium -ī *n* = cibus quī merī-
diē ēstur
illum ‘bene valēre’ *iussī*: “bene
valē!”
prandēre -disse prānsum
= prandium ēsse



ē-vigilāre = vigilāre incipere

puer : servus
citō *adv* = celeriter
caliga -ae *f* = calceus altus
calceāre sē = calceōs induere

linteum -ī *n*
quō corpus
tergētur



dē-pōnere ↔ induere
dormitōrius -a -um < dormire;
f = vestis dormitōria
cingere cīnxisse cīnctum; c. sē
= *cingulum* induere
superāria -ae *f* = vestis quae
super aliam geritur (: toga)
paenula -ae *f* = pallium
paedagōgus -ī *m* = servus quī
discipulum comitātur
salūtāre : ut salūtārem, salūtātum
ambō -ae -ō = duo simul, uter-
que; *acc* -ōs -ās -ō
intro-ire -eō -iisse = intrāre

por-rigere -rēxisse -rēctum =
trādere manum extendendō
dē-scribere
exemplar -āris *n* = quod exem-
plī causā scriptum est
ut + *perf* = postquam
ē-mendāre = menda corrigere

ē-discere = discere ad reddendū

prius tē (*abl*) = prius quam tū

iussū + *gen*: iussū magistrī = ma-
gistrō iubente, ut iubet magister
pusillus -a -um = parvus
elementa -ōrum *n pl* = litterae
singulae (A B C... L M N...)
dī-numerāre = numerāre (dīvi-
dendō)
sub-doctor -ōris *m* = quī sub
magistrō docet

II. DISCIPVLVS (II)


Ante lūcem ēvigilāvī dē somnō. Surrēxī dē lectō et vo-
cāvī puerum. Iussī 'aperīre fenestram'. Aperuit citō.

Sēdī. Poposcī calceāmenta et caligās. Calceāvī mē.

Poposcī aquam ad faciem. Lavō prīmum manūs, deinde
faciem lāvī. Accēpī linteum. Tersī manūs, deinde brac-
chia et faciem.



Dēposuī dormitōriam. Accēpī tunicam
ad corpus. Cīnxī mē. Induī superā-
riam albam. Suprā induō paenulam.



Prōcessī dē cubiculō cum paedagōgō et cum nūtrīce salū-
tāre patrem et mātrem. Ambōs salūtāvī et ōsculātus
sum. Et sīc dēscendī dē domō.

Eō ad scholam. Introīī. Dixī: "Avē, magister!"
et ipse mē ōsculātus est et resalūtāvīt.



thēca -ae *f*

Porrēxit mihi puer meus tabulās, thēcā, stilum.

Meō locō sedēns <tabulam> dēleō. Dēscribō ad exemplar.
Ut scrīpsī, ostendō magistrō. Ēmendāvīt.

Iubet mē legere. Librum accēpī. Lēgī lēctiōnem meam.
Ēdiscēbam interpretāmenta. Reddidī.

Sed statim <dixī condiscipulō>: "Dictā mihi!"

Dictāvīt mihi condiscipulus. "Et tū" inquit "dictā mihi!"

Dixī eī: "Redde prīmum!"

Et dixīt mihi: "Nōn vīdistī, cum redderem prius tē?"

Et dixī: "Mentīris! Nōn reddidistī."

"Nōn mentior!" – "Sī vērūm dīcis, dictō."

Inter haec iussū magistrī surgunt pusillī ad elementa, et
syllabās dīnumerāvīt eīs ūnus dē māiōribus.

Aliī ad subdoctōrem ōrdine reddunt, nōmina scrībunt,
versūs recitāvērunt.

Et ego in primā classe dictātum accēpī.

Dēclīnāvī genera nōminum. Partītus sum versum.

Ut haec ēgimus, dīmīsīt ad prandium. Dīmīssus vērō redeō domum.

Mūtō. Accipiō pānem candidum, olīvās, cāseum, cāricās, nucēs. Bibō aquam frīgidam.



Prānsus revertor iterum ad scholam. Inveniō magistrum perlegentem, et dixit: “Incipite ab initiō!”

III. SALVTATIO

[Iūlius prōcēdēns amīcō suō Gāiō occurrit.]

[Gāius:] “Salvē, domine!”

[Iūlius:] “Salvus sīs semper, amantissime! Quōmodo rēs tuae? omnia bene?”

[Gāius:] “Quōmodo dīi volunt.”

[Iūlius:] “Quid agis?”

[Gāius:] “Modo agēbam, nunc autem vacat mihi.”

[Iūlius:] “Sī vīs, venī mēcum!”

[Gāius:] “Quō?”

[Iūlius:] “Ad amīcum nostrum Lūcium. Vīsītēmus eum.”

[Gāius:] “Quid enim habet?”

[Iūlius:] “Aegrōtat.”

[Gāius:] “Ā quandō?”

[Iūlius:] “Intrā paucōs diēs incidit.”

[Gāius:] “Ubi manet?”

[Iūlius:] “Nōn longē. Sīs, ambulā!”

[Iūlius et Gāius ad domum Lūciī ambulānt.]

classis -is *f* = numerus discipulōrum quī simul docentur
dictātum -ī *n* = quod dictātur
versum *in pedēs* partītus sum

magister nōs dīmīsīt

mūtō *vestem*
cārica -ae *f* = ficus sicca



cāseus
-ī *m*
prānsus : postquam prandī
per-legere

salūtātiō -ōnis *f* < salūtāre

amantissimus -a -um
= cārissimus

quōmodo = sicut

vacāre = vacuum esse; vacat
mihi = tempus vacuum
(ōtium) mihi est

vīsītāre = vīsere

quid habet? = quōmodo sē
habet?

in-cidere -disse < in + cadere;
(in *morbū*) *i*. = aeger fieri;
morbus -ī *m* = mala valētūdō
manēre = habitāre

longē = procul
sīs = sī vīs

(interrogāre) sī : num, an
in-gredī -gressum = intrāre

ille : ōstiārius

dē salūte : dē valētūdine



scālae
-ārum *f pl*

dextera -ae *f* = dextra

nūntiā 'mē vēnisse'

laurus
-ī *f*



laurētum -ī *n* = silva laurōrum
de-ambulāre = hūc illūc ambu-
lāre; deambulātum
grātulārī + *dat* = dīcere 'sibi
grātam esse alicuius bonam
fortūnam'

abs-cēdere = abīre, discēdere

[Iūlius:] "Haec est, putō, domus eius."

[Gāius:] "Haec est. Ecce ōstiārius."

[Iūlius:] "Interrogā eum, sī possīmus ingredī et vidēre
dominum eius."

Et ille dīxit: "Quem quaeritis?"

[Gāius:] "Dominum tuum. Dē salūte eius venīmus."

[Ōstiārius:] "Ascendite!"

[Iūlius:] "Quot scālās?"

[Ōstiārius:] "Duās. Ad dexteram pulsāte – sī tamen
vēnit: prōcesserat enim."

[Iūlius et Gāius duās scālās ascendunt.]

[Iūlius:] "Pulsēmus!"

[Ōstium pulsant.]

[Servus, intus:] "Quis est? [Ōstium aperiēns.] Salvēte,
dominī!"

[Iūlius:] "Dominum tuum volumus vīsītāre. Sī vigilat,
nūntiā mē!"

Et ille dīxit: "Nōn est hīc."

[Iūlius:] "Quid nārrās? Sed ubi est?"

[Servus:] "Illūc dēscendit ad laurētum deambulāre."

[Iūlius:] "Grātulāmur illī. Cum vēnerit, dīcitō illī 'nōs ad
ipsum grātulantēs vēnisse ad salūtem eius', quia omnia
rēctē sē habent."

[Servus:] "Sīc faciam."

[Iūlius et Gāius abscēdunt.]